Quelle: https://manuscripta.at/?ID=383
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

inuia. Attende remanentem et transi. attende respicientem retro. et tu in anteriora extentus esto sicut paulus. Quid est non respicere retro. Que retro oblitus inquit ideo sequens uocatur ad supernam palmam. de qua postea gloriaris. quia idem apostolus dicit. Superest mihi corona iusticie. quam reddet michi dominus in illa die iustus iudex. Explicit de psalmo sexagesimo nono. Incipit de psalmo .lxx.

IN OMNIBUS scripturis sanctis. gratia dei que liberat nos commendat se nobis. ut commendatos habeat. Hoc in isto psalmo cantatur de quo cum uestra caritate loqui suscepimus. Adiuuet dominus. ut sic eam et conspiciam. quomodo dignum est et sic eam promam quomodo expedit uobis. Utrumque enim mouet dei amor et timor. Timor quia iustus est. amor quia misericors est. Quis enim ei diceret quid fecisti. si dampnaret iustum. Quanta ergo misericordia eius. ut iustificet iniustum. Ex hoc prelectum nobis et apostolum audiuimus. eandem gratiam maxime commendantem. De cuius commendatione habebat iudeos inimicos. uelut de legis littera presumentes. et tanquam iusticiam suam diligentes atque iactantes. De quibus dicit. Testimonium perhibeo illis. quia zelum dei habent. sed non secundum scientiam. Et tanquam ei diceretur quid est enim habere zelum dei non secundum scientiam. subiecit continuo. Ignorantes enim dei iusticiam et suam uolentes constituere. iusticie dei non sunt subiecti. Gloriantes inquit tanquam de operibus excludunt a se gratiam. et tanquam de sanitate sua falsa presumentes. respuunt medicinam. Contra tales enim et dominus dixerat. Non ueni uocare iustos. sed peccatores in penitentiam. Non est opus sanis medicus. sed male habentibus. Hec est ergo tota scientia magna. hominem scire quia per se ipse nichil est. et quoniam quicquid est ex deo est et propter deum est. Quid enim habes inquit quod non accepisti. Si autem accepisti. quid gloriaris quasi non acceperis. Hanc gratiam commendat apostolus. Hinc habere meruit inimicos iudeos. de littera legis et de sua iusticia gloriantes. Hanc commendans in lectione que lecta est sic ait. Ego enim sum minimus apostolorum qui non sum dignus uocari apostolus. quia persecutus sum ecclesiam dei. Sed ideo inquit misericordiam consecutus sum. quia ignorans feci in incredulitate. Deinde paulo post. Fidelis est sermo inquit et omni acceptione dignus. quia christus ihesus uenit in hunc mundum peccatores saluos facere. quorum primus ego sum. Numquid ante illum non erant peccatores. Quid est ergo primus ego. Antecedens omnes. non tempore sed malignitate. Sed ideo inquit misericordiam consecutus sum. ut in me ostenderet christus ihesus omnem longanimitatem. ad informationem eorum qui credituri sunt illi in uitam eternam. Id est unusquisque peccator et iniquus. iam de se desperans. iam habens quasi gladiatorium animum. ut ideo faciat quicquid uult. quia necessario dampnandus est. respiciat tamen ad paulum apostolum. cui tanta crudelitas tantaque malitia a deo donata est. ut non de se desperando conuertatur ad dominum. Hanc ergo gratiam commendat nobis deus. et in isto psalmo. Intueamur illam. et uideamus an ita sit. an forte ego aliter suspicer. Etenim arbitror hoc eum habere affectum. et hoc omnibus pene suis sillabis resonare. id est hoc nobis commendare gratiam dei gratuitam que nos liberat indignos. non propter nos sed propter se. ut et si non hoc dicerem neque hoc prelocutus essem. quilibet mediocris cordis homo attente audiens uerba eiusdem psalmi. saperet et hoc. et forte ipsis uerbis si aliud habeat in corde mutaretur et fieret quod hic sonat. Quid est hoc? Ut tota spes nostra in deo sit nichilque de nobis tanquam de uiribus nostris presumamus. ne nostrum facientes quod ab illo est. et quod accepimus amittamus. Titulus ergo est psalmi huius ut solet titulus psalmi. indicans in limine quid agatur in domo. Ipsi dauid filiorum ionadab. et eorum qui primi captiui ducti sunt. Ionadab homo fuit quidam. commendatur nobis ex prophetia ieremie qui filiis suis preceperat ut uinum non biberent neque in domibus residerent sed in tabernaculis habitarent. Preceptum autem patris filii tenuerunt et seruauerunt et ex hoc benedici a domino meruerunt. Dominus autem hoc non preceperat sed pater ipsorum. et sic hoc ac